

**A** sed & vniuersarum g̃etium vnuis ac verus sit Deus, mentibus sanctorum Prophetarum & Apostolorum quām penitissimē infixa, indeq; illos, tanquam ex diuite quadam vena, nō solum quē vnius ac veri omnium Dei gloriam, per vniuersum Orbem illustrandum, contra quarumuis gentium eidolatriam, ideoq; & gentium vocationem & Ecclesiam contra Iudaici zeli furorem, sed & quāe omnium piorum salutem cōtra quosuis impiorum conatus, concernunt, quām copiosissimē hauſisse. Sit & nobis consolationi h̃æc particula contra improbissimam Turcorum tyrannideim, quo rū princeps ea rapitur insania, vt solus cupiat esse excelsus super omne terram. Non dubitemus futurū, vt hanc gloriam suam Deus ita sit vindicaturus, vt manifestissimum fiat, ipsum solum vniuersae terræ dominari. Deinde, etiam si peccatis nostris exigentibus, tyrannidi Turcorum subicia- mur, & in quasvis regiones abducatur: facillimum tamen fuerit Deo nostro, vbi uis gentium nos tueri, cūm ipse solus sit excelsus, ac Dominus super omnem terram.

## PSALMVS LXXXIII.

AD PRÆCINENDVM SVPER TORCVLARIBVS.  
filiorum Core, Psalmus.

## ARGVMENTVM HVIVS PSALMI.

**H**abet hic Psalmus orationem Davidis ad Deum, qua seruentissimum cordis sui, quod erga tabernaculum Dei absens habebat, desideriū exprimit. Videtur autē exprimere affectus cordis sui pientissimus rex, quibus erga tabernaculum Dei absens astabat, cūm esset ē Sion improbitate filij sui Absalom pulsus. Versu namq; septimo Sionis meminit, dicens: Videtur Deus deorum in Sion. vnde apparet, tūm temporis, cūm hic Psalmus componeretur, tabernaculum Dei fuisset in Sion.

Dispositio Psalmi.

Sunt autem quatuor huius Psalmi partes. 1. In prima, versib. 1. 2. & 3. aperit pius rex desideriū cordis sui, quo erga tabernaculum Dei absens flagrabat. 2. In secunda, vers. 4. 5. 6. & 7. felices predicit eos, quibus dabatur in tabernaculo Dei comparere. 3. In tertia, vers. 8. 9. 10. & 11. gratiam & misericordiā Dei implorat: simulq; precationis huius rationem subiungit. 4. In quarta, versu vltimo, Psalmum insigni epiphonemate concludit, quo felicitatem eorum, qui in Deum sperant, predicit.

## PRIMA PAR.



VAM amabilia sunt tabernacula tua Domine exercituum?

VERS. I.

2. Concupiscit ac deperit anima mea atria Domini, cor meum, &amp; caro mea gestiunt ad Deum viuum.

3. Etiam passer inuenit domicilium, &amp; hirudo nidum sibi, ubi reponat pullos suos, altaria tua Domine exercituum: rex meus &amp; Deus meus.

*Etiām passer.* Gr̃ec. & vulg. Lat. Etenim passer inuenit sibi domum, & iuriatur nidum. Hieron. Et auis nidum sibi. Aquila sic: Etenim auicula inuenit sibi domum, & passer nidum sibi.

LECTIO  
VERB. 3.  
EXPLA-  
NATIO.

Prima hac Psalmi parte vehementiam desiderij sui, quo ardentissimē erga tabernaculum Dei flagrabat, declarat: 1. primum in eo quod illa vocat יְהוָה: id est, amabilia. 2. Deinde, quod non tantum dicit, Amabilia sunt: sed cum admirationis affectu, Quam amabilia sunt, &c. Sic enim solemus in rebus vellaudandis, vel vituperandis, cūm id quod de illis animo sentimus, ore satis exprimere nequimus, cum admiratione quadam in huiusmodi loquutionem erumpere, vt dicamus: Quām perniciosa res bellum? Quām est forte charitatis vinculum? Quām bonus Deus, his qui recto sunt corde? Quām acerba est memoria tua mors, homini habenti pacem? Sic pius rex cūm tabernaculi Dei desiderio flagraret, deq; illo noctes atq; dies intentissimē cogitaret, nec haberet, quibus verbis affectus cordis sui exprimeret, in hanc voce in prorupit, dicens: Quām amabilia sunt tabernacula tua Domine! 3. Tertio, quod non simpliciter dicit, Concupisco atria Domini: sed: Anima mea, inquit, concupiscit, nec cū modo aliquo concupiscit: sed ita, vt deperiat atria Domini. Dicuntur autem rem aliquā deperire, qui tam vehementi sunt desiderio accensi, vt vi illius prorsus consumi videantur, nisi voti compotes euadant. Deinde, Cor meum, inquit, & caro mea gestiunt ad Deum viuum. Per carnem intelligit & linguam, & manus, & pedes. Totum se dicit desiderio atriorum Domini accensum, & anima & corde & carne ad illa gestire, Vocat autem aram Dei, Deum, more Scripturæ: qua de re vide Num. 10. Viuum addit, ad contemptum deorum gentium, qui lapides erant & ligna. 4. Quartò, ad eundem affectum pertinet, quod infelice in eo deplorat, quod interea dum ipse desiderio tabernaculi Dei absens tabescit, passeribus & hirundinibus tanta erat illius copia vt non solum liberè circa illud volitarent, tec̃tisq; illius, quoties lubebat, insiderent, sed & sub illis nidificarent etiā, ac pullos suos reponerent. Qd. Utinam vel passerum sorte potiri daretur, qui dum ego à tabernaculo Dei excludor, etiam nidos suos sub tec̃tis illius reponunt. Oportet omnino intentissimum fuisse pī regis desiderium erga tabernaculum Dei, quod illi passerum & hirundinum in mentem venit, qui nidos suos sub tec̃tis illius collocabant.

Psal. 72.  
Eccles. 14.

Primo loco expendendum est ingenium pī regis, quo ille debeat esse animo erga domum Dei. Pius David urbem reliquerat insignem, regni sui sedem: & tamen huius nulla habita mentione totus flagrat tabernacula Dei desiderio. Quem dabis mihi principem nostri seculi, qui regno pulsus, non magis æstuet urbium, aulæ, hortoruin ac venationum, quām domus Dei desiderio?

Ee 3

Non

OBSER. I.